



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. An promittere vel dare pecunias pro Officio Custodis sit Simonia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS XXVII.

De Officio Custodis.

DECISIO XXVII.

De emente Officium Custodis.

SPECIES FACTI.

In Ecclesia N. in qua Custos habet præminentiam ante alios Canonicos, & pingues redditus, multi cupiebant ad hanc dignitatem promoveri. Igitur ut alios competitores præveniret Euclionius, illis electoribus,

quos sibi adversari credebat, promittit liberale munus pecuniarium, & hoc adminiculante majora tulit suffragia. Verùm hæc electio acriter impugnata, & postmodum rejecta est tanquam Simoniacæ.

QUÆSTIO.

An promittere vel dare pecunias pro officio Custodis sit Simonia.

Non esse, videtur colligi posse ex eo, quòd ad omnem Simoniam requiratur essentialiter, ut temporale promittatur vel detur pro spirituali. text. & DD. in c. 1. 8. 9. 10. 14. *Eccl. de Simon.* Unde & à S. Thoma in 4. d. 25. & aliis DD. cum gl. *pr. caus. 1. q. 1.* communiter sic definitur Simonia: *est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Atqui in officio Custodis nihil spirituale apparet, si consideretur, quatenus est *Officium*; quia hoc de Jure consistit in custodiendis utensilibus Ecclesiæ, rei-

que divinæ instrumentis minùs pretiosis, in pulsandis tintinnabulis seu campanulis ad Horas Canonicas, in accendendis & extinguendis lampadibus, & cereis &c. c. 1. § 2. h. t. quæ omnia peragi possunt, ac hodie solent per æditum laicum: si consideretur, quatenus est *Dignitas* secundum modernum Ecclesiarum morem, quia præminentia hæc ferè consistit in præcedentia, vel alia prærogativa temporali. Reditus autem ex hoc officio, quod à Laicis quoque impleri potest, utique nihil sunt spirituale; ergo.

(R. P. Picbler Decisiones.)

R

Verùm

Verum enimvero dubitare vix licet, quin in presentis casu commissum sit Simonia. Sumitur ex *c. 2. 8. 38. de Sim.* & ex ea ratione, quod Officium Custodis sit ministerium Ecclesiasticum, ex intentione Ecclesie ordinatum ad finem supernaturalem, scilicet ad DEI cultum in custodiendis & conservandis templorum ornamentis & utensilibus. *c. 1. h. t.* atque insuper non nisi Clericis & Canonicis conferri solitum in titulum. Bernard. Van Espen *in Jure Eccles. Universo p. 1. tit. 4. c. 1. § 2.* Imò non male annumeratur Beneficiis, & juxta morem multarum Ecclesiarum, etiam Dignitatibus Ecclesiasticis; quia est jus auctoritate Ecclesiastica erectum percipiendi redditus temporales propter ministerium Ecclesiasticum aut spirituale, seu tendens ad finem supernaturalem, & in quibusdam locis habet præeminentiam præ aliis præbendis vel Canonicatus obtinentibus: atqui emere vel vendere Beneficia, vel Dignitates Ecclesiasticas, certè est Simoniacum.

can. 2. 8. 9. Ec. caus. 1. q. 3. c. 4. 6. fin. de Pañ. Vid. Wames. Con. 562.

Neque obstat, quod hoc officium per laicos ædituos obiri possit, & multis in locis soleat; ubi enim ex Canonicis alicui committitur, confertur ipsi in titulum, ut alia Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticæ, & sic evadit, manetque officium vel Dignitas Ecclesiastica, atque in habitu cura & custodia principalis utensilium Ecclesiasticorum pertinet ad talem Canonicum, ut Ministrum Ecclesie, licet is executionem sui muneris committat Laico. Unde patet responsio ad argumentum initio adductum, videlicet respondetur, Officium Custodis, si uni ex Canonicis confertur in titulum, uti solet, esse annumerandum ministeriis Ecclesiasticis, sicut in locis, ubi est Dignitas, Dignitatibus Ecclesiasticis, atque sub hac ratione tanquam spirituali titulo annexum absque Simonia pro pretio temporali dari aut procurari non posse.



TITU-